



Reuerendi Patris P. Hieremiæ Drexelii e Societate Iesu Opera omnia

Duobus nunc Voluminibus comprehensa, & libellis ante hac non editis
aucta ; Illvstrata, Indicibvs Moralibus, Locorum S. Scripturæ, Capitalium
Mysteriorum fidei, Rerum, & Concionum quouis anni tempore habendarum
; Congestis Et Compositis Methodo prorsus, alijs Auctoribus inusitata ; Sed
Theologis ...

Drexel, Jeremias

Antverpiæ, 1643

Cap. I. Hypotyposis omnium quinque librorum, duplex etiam
fundamentum ponitur, & omnes omnino pœnas à Dei voluntate provenire
ostenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77028](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77028)

file, quod quid aliud est, quam bonâ intentione? Hæc certe neminem sinit à seipso sic exornari & pingi, ut actus illius non tam sint, quam esse videantur boni: has omnes officias & pigmenta extremè odit intentio bona: Virtutem ut sequamur imperat, sed ut bonâ fide sequamur, non spe vanâ illecti, non metu adaecti, sed ipsius amore virtutis. Insignissimè hoc explicans Augustinus: Impletis, inquit, amore, quod timore non poterat. Qui enim timendū non facit malè, mallet facere, si liceret. Itaque est factus non datur, voluntas tenetur. Non facio, inquit. Quare? Quia timeo. Nondum amas iustitiam (nondum sobrietatem, nondum castitatem amas) adhuc servus es: Ego filius. Sed ex bono servo fit bonus filius. Interim timendo noli facere. Idem sanctissimus Antistes obliquam nimis intentionem avari sic perstringit. Avari quid inhiat calo & terræ? Melior est qui fecit calum & terram. Ipsum visurus, ipsum habiturus es. Quæris ut tua sit illa villa, & transiens per illam dicis: Beatus, cuius est possessio ista. Hoc dicunt quam multi qui transiunt per illam: & tamen cum dixerint & transierint per illam, possunt caput agitare, & suspirare, numquid & possidere? Sonat cupiditas, sonat iniquitas: Sed non concupiscas rem proximi tui. Beatus, cuius est villa illa, cuius est domus ista, cu-

A jus est ager iste. Compeles iniquitatem, audi veritatem. Beata gens cuius est. Quid? jam noster quid dicitur sim. Ergo desiderare ut habeatis, tunc demum beati eritis. Hæc solâ beate eritis, re meliore, quam vos estis, meliores eritis. Deus est, inquam, melior te, qui fecit te. Erige te ad illum, & quidquid oculorum habes, in hunc unum converte.

B Quod ergo Tigranis conjux fecit in Persiâ, hoc tibi faciendum in omni loco, assidue, in omni vitâ: suos illa oculos in unum illum defixit, qui caput pro illâ suum offerebat: idem à te jure meritisimo postulatur, ut tuos in uno defigas oculos, qui & oculos & caput, & totum se tæque unâ tibi donavit, qui vitam & sanguinem suum pro te redimendo, non solum offerre paratus fuit, sed obtulit. At parum est regiam Tigranis conjugem imitatione exemplis sanctioribus urgemur. Quisquis bonam intentionem cordi habes, regium Numinis Placem æmulare, & provide Dominum in conspectu tuo semper. In hunc unum tuus eat oculus, sed vide ut simplex eat & rectus; in hunc unum tua feratur intentio, sed vide ut pura feratur & sincera; nec aliorum quidquam aspiciendum est, nisi per hunc unum, aut in hoc. Ergo, quod ultimum monco, ATTENDE TIBI.

Finis librorum de rectâ intentione.

HELIOTROPIVM

S E V

CONFORMATIO HVMANÆ VOLVNTATIS

CVM DIVINA.

LIBER PRIMVS

D E

DIVINÆ VOLVNTATIS

COGNITIONE.

CAPVT PRIMVM.

Hypotyposis omnium quinque librorum, duplex etiam fundamentum ponitur, & omnes omnino penas à Dei voluntate provenire ostenditur.



Ex Macedo Alexander, cum Darium bello peteret, æstu & itinere fervore percaesus, Cydno amni corpus suum immergit, sed hebetatis subito torpore artibus, expiranti similis in tabernaculum delatus est. Huc amicis pariter & medicis admissis, melius sibi fore Rex agebat, mori strenuè, quam tardè convalescere: proinde si quid opis aut artis esset, scirent se non tam mortis quam belli remedium querere. Itaque medicis

Tom. I.

C attentissimo consilio salutis remedia circumspiciebant: qui cum ad unam potionem sententiam direxissent, Philippus medicus, Regi puero fidus admodum comes & custos salutis datus, non præceptum sed strenuum remedium afferre, potionemque illam suis manibus temperaturum, & eâ vim morbi levaturum esse promissit. Inter hæc à Parmenione fidelissimo purpuratorum litteræ super venerunt, quibus Rex monebatur ne salutem suam Philippo committeret, mille talentis à Dario esse corruptum. Ingentem animo sollicitudinem litteræ incusserant regi, & quidquid in utramque partem, aut metus aut spes subjecerat, secretâ æstimatione pensabat. Bibere perseveraret? vitæ periculum terrebat. Damnares fidem medici? antea vitæ fidelitas dissuadebat. Diu animo in diversa versato, nulli quid scriptum esset enuntiavit, epistolamque sigillo annuli sui impressam, pulvino, cui incumberebat, subjecit. Inter has cogitationes bi-duo absumpto, illuxit à medico destinatus dies. Et ille cum poculo, in quo medicamentum diluerat, intravit.

Vu 3

Quo

Quo viso, Alexander, levato corpore in cubitum, epistolam à Parmenione missam sinistra manu tenens, accepit dextrâ poculum, & hausit interitus: tum epistolam Philippum legere jubet, nec à vultu legentis movit oculos, ratus aliquas conscientiae notas in ipso ore posse deprehendere. Ille epistolâ perlectâ, plus indignationis quam pavoris ostendit, projectiâque amiculo & literis ante lectum: Rex, inquit, semper quidem meus ex te spiritus pendit, sed nunc verò (arbitror) sacro & venerabili ore trahitur. Crimen quod mihi obiectum est, tua salus diluit. Laxa paulisper animus, quem sollicitudine intempestiva amici sanè fideles, sed moleste seduli turbant. Non securum modò hæc vox, sed etiam lætum Regem ac plenum bonæ spei fecit. Itaque si tibi permillum esset Philippe, inquit, quò maximè modo animum velles experiri meum, alio profectò voluisses: sed certiorum quam expertus es, ne optasses quidem. Hæc epistolâ acceptâ, tamen quod dilueras bibi. Hæc locutus, dextram obtulit Philippo. Ut verò medicamentum se diffudit in venas, & sensim toto corpore salubritas percipi potuit, primò animus vigorem suum, deinde corpus quoque expectatione maturius recuperavit: quippe Rex post tertium diem, jam sospes in conspectum militum se dedit.

Hic mihi, Lector, quinque observabis sedulò.

Primum: Rex Alexander ante omnia nosse voluit quò pharmaci genere juvari posset. Deinde Philippi medici in se fidem non indiligenter expendit, & quem is animum erga se gereret, è vultu didicit.

Alterum: Ubi Alexander perpexit Philippum medicum tam intemeratâ fide pro salute sua sollicitum esse, omni suspitione positâ, medicamentum Philippi manibus temporatum, sine ullâ cunctatione intrepidus hausit.

Tertium: Pro tam constanti erga Philippum medicum iudicio, dignissimam mercedem, integram valetudinem intra triduum recepit. Ideo Philippum servatorem suum unâ secum perduxit ad stativa militum, ubi pro se quisque dextrâ medicæ amplexus, grates habebat velut præsentem Deo.

Quartum: Quo minus Rex revalesceret, ingens sese impedimentum objecit, nec unum dumtaxat: Litteræ fidiissimi Parmenionis suspitionem veneni pluribus indicibus ingerebant, & amicorum sedula quidem sed vitiosa sollicitudo plurimum turbabat.

Quintum: Hoc unò Regem Alexandrum juvit, quod sui medici cum solerem ac eruditam providentiam, tum sanctam & incorruptam in se fidem agnoscere non recusavit, & inde maximam conceperit fiduciam valetudinis recuperandæ, quam etiam recuperavit felicissimè.

En, mi Lector, totius scriptionis & quinque librorum qui sequuntur, hypotyposin ac summam. Nimirum hoc ordine progredientur, quo Macedonum regem constanatum diximus. Itaque humanam voluntatem in divinâ constituendam esse, hæc viâ & connexione trademus.

Primum erit Ostendere, quâ ratione voluntas divina sit cognoscenda. Omnium vox & sensus est: Te mihi prius velim notum, quam me tibi credam amicum. Alexander ante audit, quid Philippus medicus velit ac jubeat, quam ipse medicamentum sumat. Primum ergo est, divinam voluntatem nosse.

Proximum ab hoc: Cum divinâ voluntate suam conformare. Cur enim illam scrutari aut nosse volo, si amplecti, si sequi non volo? Non cunctatus est Alexander, quin idem, quod medicus veller, traheretque in se ore suo (quod Philippus dicebat) spiritum sui medici.

Tertium est: Propondere, quantæ felicitatis sit, divinam voluntatem non solum habere notam, sed suam illi agglutinatam. Non oderat Alexander pharmacum, quia

vitam & valetudinem amabat. Certè omnis amator voluntatis humanæ, spe valetudinis dulcescit. Amaritudinis subingit de aliquid habere videtur voluntas divina, sed illud spe summi boni superandum est.

Quartum erit: Impedimenta omnia, quæ hanc humanæ voluntatis cum divinâ consensionem turbant, amovere; voluntatem propriam jugulare, ut amplecti liceat divinam. Rex Alexander amicissimis etiam non credidit, ne fidem negare cogeretur ei qui accusabatur ut inimicus.

Quinto denique loco: Adjumenta illa explicabimus, quæ ad divinâ humanæque voluntatis concordiam potissimum valent. Ea sunt, divinæ Providentiæ cognitio, & inde concepta in Deum Fiducia. Perisset Alexander, nisi medici doctam sinceramque providentiam agnosceret, eique fidere voluisset.

Hæc sunt, & in hunc ordinem digesta, quæ his quinque libris summissis exponenda, ut humanæ voluntatis cum divinâ nexus & certior sit, & firmitior. Nunc ad rem.

§. I.

Omnis doctrinæ, quam Christus tot divinis concionibus tradidit, caput hoc fuit, divinæ voluntati seipsum integrè perfectèque in rebus omnibus ac singulis conformare. Hoc Servator quâ verbis quâ factis amplissimè docuit, & nobis semetipsum formam dedit ad imitandum. Ad hanc Domini doctrinam explicatius proponendam, duplex cum Theologis ponimus fundamentum.

Primum: Omnem omnino profectus nostri rationem in hac humanæ divinæque voluntatis conformatione & concordia consistere, ita ut quò ista fuerit sincerior, hoc ille futurus sit uberior. Omnem Christiani hominis perfectionem in Charitate sitam esse jam liquet. Volumina divina testimoniis in hanc rem plena sunt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c. Hoc est maximum & primum mandatum. Nunc autem manent fides, spes, charitas. Major autem horum est charitas. Super omnia autem hæc, charitatem habere, quod est vinculum perfectionis. Finis autem præcepti est charitas. Charitatis autem actus longè nobilissimus, & assidue instaurandus, est hæc ipsa cum Dei voluntate conformitas in omnibus. Eadem velle, & eadem nolle, firma est amicitia; vox est beati Hieronymi, & omnium sapientum.

Alterum fundamentum: Nihil profus in Orbe figi (peccato solum secluso) sine Dei voluntate. Fortuna seu ridens seu lævantis imperium nullum est. Hæc idololatrarum somnia sunt, quæ humanæ vitæ vicissitudines à nescio quâ deâ dispensari fingebant. Augustinus irridens: Quomodo ergo, inquit, dea fortuna aliquando bona est, aliquando mala? an fortè quando mala est, dea non est, sed in malignum demonem convertitur? Christiana sapientia fortunam omnem exhibital. Bona & mala, vita & mors, talis paupertas & honestas à Deo sunt. Sed hoc ipsum in divinis paginis testatissimum, paulò apertius declarandum.

§. II.

Omnia mundi mala (peccatum excipimus) à Deo esse, hæc ratione docent Theologi. In omni peccato duo sunt: Culpa & poena. Deus est auctor poenæ quæ in peccato est, sed neutiquam culpæ. Ideo si demamus culpam, nullum est malum poenæ, quod non fiat à Deo, aut ipsi non placeat. Sicut autem mala peccati, seu poenæ, sic & mala naturæ oriuntur à divinâ voluntate. Naturæ mala vocamus, famem, sitim, morbos, dolores &c. quæ sæpissime nihil habent cum peccato commercii. Itaque Deus reipsa, (& ut in scholis loquuntur, effectivè, positivè) omnia poenæ naturæque mala vult, ob salutem justissimas causas, solum peccatum, seu culpam permittit. Ideo hæc Dei voluntas Permittens, illa Ordinans vocatur.

Matris, aut
Seneca.

Summa
totius scri-
ptionis:

1. Divinam
voluntatem
nosse.

2. Cum di-
vinâ vo-
luntate
suam con-
formare.

3. Propone-
re quantæ
sit felicitas
divinâ

caetur. Id igitur omne quod nos malum vocamus, à Dei voluntate est. Ita Theologi. Hoc fundamentum altissimi in animo jaciendum: maximi enim refert, probè istud capere, idque semper persuasissimum habere, peccatum & malorum omnium causam primam esse voluntatem divinam, culpà tamen, ut montuimus, semper seculà. Jacto hoc fundamento sic concludimus.

Quandoquidem Dei nutu imperioque sit, quidquid fit in Orbe, par est ut omnia de manu Dei acceptemus, sanctissimi illius voluntati nostram per omnia, & in omnibus ita conformantes, ut nihil incertis eventibus, nihil casui, nihil fortunæ adscribamus. Hæc verum monstra sunt, inter Christianos minimè toleranda. Neque fortunæ tantum aut casui nil assignandū, sed nec negligentia aut industria humanæ, velut primariæ causæ. Vana sunt, & steriles hæc querelæ: Hoc illudve ideo mihi evenit, quia hic vel ille me odit, rem malè dixerit, socordis egit, aliter certè eventurum fuisset, si mihi benevolus extisset, negotium hoc cordi habuisset, operæ non peperisset. Vana & stulta est hæc philosophia. Vera, salutaria, & sancta est illa: Dominus fecit hæc omnia. Nam, quod jam monuimus. *Bona & mala à Deo sunt.*

§. III.

Hic plurimi seiplos fallunt ignorantia miserabili. Hoc enim sibi persuadent, ea tantum mala quæ à causis naturalibus proveniunt (cujusmodi sunt: Inundationes, terræ motus, agrorum sterilitas, terræ labes, annonæ caritas, injuriæ celi, morborum incommoda, mortes) immitti à Deo, cum plerumque hic nullum interveniat peccatum: verò mala illa, quæ à vitiis & malitia humanà trahunt originem, (cujusmodi sunt: Calumnia, fraudes, furtiva, vexationes, iniuriæ, rapinae, oppressiones, bella, cades) non esse à Deo, nec ab ipsius providentiâ proficisci, sed ab hominum nequitia, & perversâ voluntate illorum, qui hæc talia in alios moluntur. Hinc illæ voces superioribus annis passim jactate: Hæc annonæ caritas non est à Deo; ab aversissimis hominibus est, à Deo non est. Insane ac impiæ voces, homine Christiano prorsus indignæ, & sub oculum relegandæ.

Sed ut res sit dilucidissima, exemplo demonstratur id quod dicimus. Est qui alterum bonis omnibus evolutionem cupiat: ut hoc nefarium consilium in opus prodeat, in ædes inimici clam subrepat, ignem subjicit, actutum exadibus se protipit: domo jam inflammata cum ceteris accurrat, velut incendium cum aliis extincturus, sed longè alius est illi animus. Nam si occasio faveat, non flammam compescit, sed prædam sibi facit, & in rem suam spolia subtrahit incendio. Omnes hæc cogitationes in se spectatæ, absque voluntatis perversitate, omnes hæc actiones in genere entis (ut scholæ loquuntur) consideratæ, auctorem habent Deum; Deus hæc facit, uti quavis alia facit in rebus creatis rationis expertibus. Sicut enim istæ nec movere se possunt, nec operari sine Deo, ita nec incendiarius ille aut domum ingredi, aut eadem egredi, aut ignes spargere sine Deo potest. Neque verò mali sunt ex se hi actus, nam & cum virtute fieri possunt, at mala est voluntas, pessimum est consilium, quod improbus ille servatus est. Hujus auctor & causa Deus non est, quamvis consilium hoc iniri permiserit. Potuisset enim hoc impedire si voluisset. Quandoquidem ergo Deus justo suo judicio impium illud consilium non impedit, permittit. Permissiois causas infra dabimus.

§. IV.

Adem prorsus ratio est in aliis quoque peccatis, quod etiam sub hac imagine magis elucescat. Est qui claudicet ex accepto vulnere: gressum hic quidem molitur, sed ægrius, nec tam decore atque sanis incedit.

A Causa motus in pede est vis impellens naturalis, claudicationis autem causa est vulnus, non motrix animæ virtus. Simili planè modo actionis illius, quam quis peccando exercet, causa est Deus; erroris autem & peccati in hoc actu causa est liberum arbitrium. Actioni adjuvamentum subministrat Deus, non aberrationi, non illi à lege & rectâ ratione secessioni.

Quamvis igitur Deus peccati auctor non sit, nec esse Abac. 1. possit: *Mundi enim sunt oculi illius ne videat malum, & re- vers. 13. sperare ad iniquitatem non poterit: Diligit enim justitiam & p. 44. v. 8. odit iniquitatem:* Nilominus exploratissimæ veritatis est, omne malum peccatæ, à causis secundis, seu rationalibus, seu rationis expertibus profectum, quocumque id modo ac ratione accidat, totum prodire à manu Dei, ejusque suavissimâ dispositione ac providentiâ. Deus est, mi bone homo, Deus est, qui dextram te percutientis rexit; Deus est qui linguam tibi detrahentis movit; Deus est qui vires te impie conculcanti dedit. Ipse Deus de se per Isaiam hoc fallus: *Ego Dominus, inquit, & non est alter: for- Isai. 4. 45. mans lucem & creans tenebras: faciens pacem & creans ma- vers. 7. lum: ego Dominus faciens hæc omnia.* Quam luculenter hoc ipsum confirmans vates Hebræus Amos: *Si erit, in- Amos cap. 3. quit, malum in civitate, quod Dominus non fecerit? Perinde vers. 6. si dixisset, nullum malum est quod non faciat Dominus, malum culpæ permittendo, peccatæ malum efficiendo & ordinando.*

Ira Deus adulterium & eadem Davidis Regis, per incesti Absalonis filii peccatum puniturus: *Ece ego, in- 2. Reg. 12. quit, suscitabo super te malum de domo tuâ, & tollam uxores 11. & 12. tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo &c.* Tu enim fecisti abscondere, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israël, & in conspectu solis. Præclarissimè dixit Augustinus: *August. in Sic Deus per malos erudit bonos. Sic Justitia Divina Regi- p. sal. 73. v. 4. bus impiis, & malis Principibus velut instrumentis uti- p. sunt tur, tam ad exercendam proborum patientiam, quam ad flagellandam improborum petulantiam. Exempla Dei.*

C hæc ab omni ævo obvia, ubi Deus per improbas aliorum cupides bonam suam voluntatem exercet; per aliorum injustitiam exerit judicium sua iusta. Et velut patet virgas arripit & filium cædit, sed paulò post filio se conciliatum exhibet; virgis in ignem coniectis: ita Deus per Isaiam minatur, & *Ve Assur, inquit, virga furoris mei Isai. 10. & bacillus ipse est, in manu eorum indignatio mea. Ad gentem 5. fallacem mittam eum, & contra populum furoris mei manda- u. que ad 8. bo illi, ut auferat spolia, & diripiat prædam, & ponat illum in conculcationem, quasi lutum platearum. Ipse autem non sic arbitrabitur, & cor ejus non ita existimabit: sed ad conterendum erit cor ejus, & ad interuersionem gentium non paucarum. Quam clarè Deus tantorum malorum auctorem se falsus? In manu eorum, inquit, indignatio mea, virga furoris mei Ibid. v. 1. est rex Assyrius, ad puniendâ Judæorum flagitia, ego illum misi, ut auferret spolia, deiceretque nimum infolentes & inflatos illorum animos, qui projectâ fide, idola gentium vesano ritu venerati sunt: ipse autem rex Assyrius omnia alia cogitans, non sic arbitrabitur, nec ad castigandos venit, sed ad mactandos & omni modo perdendos, nihilominus voluntati meæ deserviet: at ubi ego gentem meam per Assyrios castigaro, vae huic virgæ, vae Assyriis, quos velut instrumentum furoris mei excutiam in ignes. Idem prorsus in aliis ultionibus divinis est observare.*

Titus Imperator Romanus cum Hierosolymorum Joseph. 1. 6. urbem arctissimâ obsidione cinxisset, muros circuire, & de bello iud. ipse omnia lustrare oculis institit. Hic cum plenas cada- cap. 4. post veribus valles vidisset, altamque sanien tabefactis corporibus defluentem, altum ingemuit, & elatis in cælum oculis ac manibus Deum testabatur, factum illud suum non esse.

§. V.

O Bjicias: Si res ita se habent, si malorum omnium origo est voluntas Dei, quid ergo reluciamur, quid

Rom. c. 12.
vers. 3.
Cur hosti
resistendum
est bellum
sit à Deo.

quid morbis pharmaca opponimus, quid hosti armatos
cuneos objicimus, cur portas non illico pandimus, & in-
tra mœnia recipimus nostrum exitum, cur non sanctis-
simum præfulem Lupum imitatur, & illius vocibus
flagellum Dei. Decorum est, mi homo, non plus sapere
quam oportet, sed sapere ad sobrietatem. Bellum, & omnes
clades à Deo sunt, res jam liquida. At hinc mala est ista
consecutio: Ergo hosti non resistendum; ergo morbis
non occurrendum. Nam aliud est voluntas Signi, (cùm
Theologis loquor) aliud voluntas Beneplaciti. Atque
de illâ voluntate Signi per leges nobis explicatâ, ut plu-
rimum satis constat, at verò de hac Beneplaciti non item,
neque continuò scire licet, quousque se ista extendat.
De quâ infra uberius. Nunc exemplo sit Morbus. Hic
à quacunque causâ ortus, divinæ voluntatis esse, neque
hac in re quidquam ambigendum. Cùm autem ægrotus
nesciat, quamdiu se velit Deus in morbo cubare, licet
prorsus resistere potest, & recuperandæ sanitati, quid-
quid est legitimorum remedium adhibere. Ubi verò
tentant omnia, & nihil profecerit, nec convalescit, per-
suasissimum sibi habeat, divinæ voluntatis esse, se gra-
vius ac diuturnius invalitudine urgeri. Sic ergo ratio-
cinandum: Vult te Deus, mi æger, agrotare; at quia ne-
scis an etiam velit te nunquam sanari, eâ de causâ licet
uteris remediis: si autem velit morbum perpetuari, sub-
trahet pharmacis efficaciam, & saneris. Idem de hosti-
bus dicendum. Sape voluit Deus Israelis gentem im-
pugnari, ne torpesceret; quamdiu autem non constabat
velle Deum illam etiam expugnari; tandiū erat resi-
stendum hosti; secus, si monuisset Deus, ut per Hiere-
miam vatem monuit, dederent sese in servos regi Na-
buchodonosori. Pari ratione si ortum incendium quan-
tiscunque laboribus resingui non possit, argumento id
est, Deum voluisse non solum incendi domum, sed &
comburī, suis amicis vel experiendis, vel puniendis ini-
micis. Idem in aliis omnibus observandum.

De his infra
explicatur.

Deinde, quemadmodum fit nonnunquam ut unus
aliquis pater det filio, & nequam gladium, dicatque: Age
puer, defende te contra me; videamus quid apud lani-
stam profeceris in athleticâ. Hic non filius patri, sed pu-
gnator adversario resistit: ita prorsus cùm quis incen-
dium, cùm hostem, cùm morbum cupit extinctum, non
divinæ voluntati penam approbanti, sed culpæ obfi-
stit, quam odit Deus. Nam domus incensa est vel inju-
riâ, vel invidiâ: huic culpæ reñiti, nemini non permis-
sum. Sic qui morbum conatur depellere, non voluntati
divinæ, sed humanæ noxæ se gerit adversarium: vix enim
ullus est morbus, cui non occasionem præbuerit aliqua
viciis intemperantia; quisquis jam in morbum pugnat,
non Deo, sed intemperantiæ, aut cetè illius effectui re-
pugnat. Sic qui armis resistit hosti, non divinæ volunta-
ti adversatur, sed illi qui bellum intulit injustum. In his
talibus se suâque defendere, minimè veritum, nisi aliun-
de constet dupliciter Deo defensionem.

§. VI.

Sed quid miri est divinam Providentiam Justitiâ-
que hominibus improbis velut instrumentis uti,
quando & ipsi demones hoc munus obeunt? *Fug, mi-
mor. cap. 24. ra dispensatione pietatis, inquit Gregorius, ut unde malignus
hostis cor tentat ut interimat, inde misericors conditor hoc eru-
diat ut vivat. In factis Regum hæc memorantur de Saule:*
1. Reg. c. 18. Post diem autem alteram invasit spiritus Dei malus Saul. Et
vers. 10. quomodo malus is fuit spiritus, si Dei? quomodo verò
Dei esse potuit, si malus fuit? Hoc ipsum eadem Re-
*1. Reg. c. 16. gum historia sic explicans: Exagrabat eum, inquit, spiri-
vers. 14. tus nequam à Domino. Malus erat spiritus per desiderium*
August. in missus à Domino ad torquendum Saulem. Hipponen-
2. sal. 31 pro- sis præfuit Augustinus, hic lucis plurimum allucet. Nec

A pigebit illius verba ex integro admetiri, hæc sunt: *Quid quid
est, recti corde & non resistentes Deo. Intendat charitas vestra, & ad hoc
intelligite rectum cor. Breviter dico, sed tamen maxime com-
mendandum. Inter rectum cor & pravam cor hoc interest.*
*Quisquis homo quidquid patitur præter voluntatem, afflictio-
nes, marores, labores, humiliações, non tribuit nisi voluntati
Dei iuste (bene hoc notetur) non illi dani insipientiam, quod
quasi nesciat quid agat, quia talem flagellat, & talibus parci-
ipse est rectus corde. Perversi autem corde sunt, & pravi, & di-
storti, qui omnia quæ patiuntur mala, inique se pati dicunt,
dantes illi iniquitatem, per cuius voluntatem patiuntur: aut
quia non & audent dare iniquitatem, auferunt ei gubernatio-
nem. Quia ipse (inquit talis) non potest facere iniquum; in-
quum autem est ut ego patiar, & ille non patiatur: concedo enim
ut sim peccator, certe sunt peiores qui lætatur, & ego tribulo-
quia ergo hoc iniquum est, ut etiam peiores me lætetur, & ego
tribuler, qui aut iustus, aut minimis peccator, quàm illi, sum: &
certum est apud me, hoc esse injustum, & certum est apud me,
quia Deus non faciet injustum, Deus non gubernat res huma-
nas, nec cura est illi de nobis. Ergo pravi corde (inquit Augu-
stinus) id est, distorti corde tres habent sententias: Aut non est
Deus, dixit enim stultus in corde suo, non est Deus: Aut injustus
Deus est, cui hæc placuit, & qui hæc facit: Aut non gubernat
Deus res humanas, nec cura est illi de omnibus. In istis tribus sen-
tentis magna impietas. Et pauculis interjectis: Sic est ergo
rectum cor, fratres. Cuiusque aliquid accidit, dicat: Domi-
nus dedit, Dominus abstulit. Ecce rectum cor: Sicut Domi-
no placuit, ita factum est, sit nomen Domini benedi-
ctum. Et non dicit, Dominus dedit, diabolus abstulit. Intendat
ergo charitas vestra, ne forte dicatis: Hic mihi diabolus facit
(hoc mihi damnum nebulo ille intulit) prorsus ad Deum
refer flagellum tuum, quia nec diabolus tibi aliquid facit,
nisi illi permittat, qui desuper habet potestatem, aut ad penam,
aut ad disciplinam: ad penam impiis, ad disciplinam filiis.
Flagellat autem omnem filium quem recipit. Ne te sine
flagello speres futurum nisi forte cogites exheredari. Flagellat
omnem filium quem recipit. Itane omnem? Vbi te voluit
abscondere? Omnem: & nullus exceptus, nullus sine flagello erit.
Quid? an omnem? Vix audire quem omnem? Etiam amicus Dei
filius sine peccato, non tamen sine flagello. Institutio nobilissi-
ma & Augustino sanè digna. Quia verò Augustini sen-
su, nec diabolorum nec hominum ullus in alterum
quidquam potest, nisi permittente Deo, ideo nunc bre-
viter dicendum quænam permittat Deus, quâ ratione,
quâ de causâ permittat.*

CAPVT II.

Quid, quomodo, quare hoc illud de permi-
tat Dei Voluntas.

Miserimè hic vulgus hominum hallucinari solet,
cui Permissio divinâ, vix aliud est quàm huma-
na, quæ nihil agendo desidet otiosa, & agere volentes
non impedit, etiam possit. Ex hoc uno errore mala gignun-
tur innumera. Hinc alteri in alteros ruimus, & velut om-
nis infortunii fabros, omnis mali auctores mutuo nol-
met & verbis, & manibus, & dentibus laceramus, tan-
quam si Deus interim altercationes nostras otiosus spe-
cket, & gravissimas injurias, cùm possit impedire, per-
mittat. Seminarium hoc est omnium perturbationum.
Huic everrendo tria capita statuimus in omni Permis-
sione divinâ consideranda.

Primum est, Voluntas permittendi: Alterum, causâ
Permissiois: Tertium, Voluntas Cooperatrix in re per-
missâ. Ad hæc melius perspicienda, repetendum animo
duo esse malorum genera. Primum eorum, quæ mole-
stiam, dolorem, jacturam, infamiam inferunt, uti sunt lora-
paupertas, vincula, morbi, exilium, mors, quæ non tam
dicenda sunt mala, quàm medicamenta amariora, di-
vinâ manu admota. Alterum genus malorum est, quæ
vero